



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 58. Vtrum applicatio libera diuinæ volitionis, ac scientiæ huic potius, quam alteri obiecto contingenti sit aliquod ens rationis, vel aliqua veritas obiectiua æterna.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

tia rationes, puræ veritates obiectivæ, & negationes possunt esse æternæ, ideoque ipsi aduersarij fatentur decretum negatiuum, quo Deus non vult producere mundum, ab æterno compleri, & applicati per æternam negationem mundi; ergo applicatio libera diuinæ volitionis, ac scientiæ ad volendum hoc potius obiectum, quam illud, potest consistere in aliqua veritate obiectiua æterna, vel in aliqua negatione æterna, vt explicabimus questione sequenti.

15. Ad 2. concedo maiorem, & distingo minorem; non est necesse, vt omnia constitutiua vniuscuiusque denominationis præsentis sint præsentia, concedo: vt omnia constitutiua denominationum cognoscentis, & volentis sint præsentia, ac proinde sint æterna, si tales denominationes debeant esse æternæ, nego: & nego consequentiam. Iam dictum est num. 8. & 9. quod licet constitutiua aliquarum denominationum possint non esse præsentia, quando rei conueniunt tales denominationes, tamen constitutiua denominationum cognoscentis, & volentis hoc potius obiectum, quam illud, debent esse præsentia, quando rei conueniunt tales denominationes.

16. Dices: applicatio diuinæ volitionis ad volendum efficaciter mundum non est constitutiuum intrinsecum huius denominationis, per quam Deus denominatur volens mundum, sed est solum connotatum quoddam extrinsecum; sed licet Deo non possit conuenire denominatio volentis mundum, quando non sunt præsentia omnia constitutiua intrinsecæ talis denominationis, tamen potest illi conuenire denominatio volentis mundum etiam quando non est præsens aliquod connotatum extrinsecum; ergo Deus potuit ab æterno denominari volens creare mundum, etiam si applicatio diuinæ volitionis ad mundum creandum non fuerit ab æterno, sed solum suo tempore.

17. Sed contra, nam repugnat, vt dentur omnia constitutiua intrinsecæ, & essentialia, alicuius denominationis, aut rei, & non detur talis res, & denominatio: e. g. repugnat, vt dentur omnia constitutiua intrinsecæ, & essentialia hominis, & non detur homo; vt dentur omnia constitutiua intrinsecæ, & essentialia hominis vt albi, & non detur homo albus, ac homo non denominetur albus. Et ratio est, quia non potest dari tota essentia rei, aut denominationis, & non dari res, aut denominatio: sed essentia rei nihil aliud dicit, quam omnia eius constitutiua essentialia; ergo repugnat, vt dentur omnia constitutiua intrinsecæ, & essentialia rei, aut denominationis, & non detur talis res, & denominatio: sed Deus de facto non denominatur volens alterum mundum; ergo non dantur omnia constitutiua essentialia, & intrinsecæ huius denominationis; sed nullum aliud constitutiuum deficit, nisi applicatio libera volitionis diuinæ ad volendum alterum mundum; ergo talis applicatio est

constitutiuum intrinsecum, & essentialia Deo, vt volenti alterum mundum, ac non est connotatum purè extrinsecum, ac proinde applicatio diuinæ volitionis, & cognitionis ad volendum efficaciter, & videndum determinatè obiectum, est constitutiuum intrinsecum Dei vt volentis, & cognoscentis hoc determinatè obiectum, ac debet esse ab æterno, vt Deus ab æterno denominetur volens efficaciter hoc determinatè obiectum, vt explicatum est.

QVÆSTIO LVIII.

Virum applicatio libera diuinæ volitionis, ac scientiæ huic potius, quam alteri obiecto contingentis sit aliquod ens rationis, vel aliqua veritas obiectiua æterna?

1. Videtur, quod non, primò quia sola prima veritas est æterna; ergo nulla veritas obiectiua distincta à prima veritate est æterna; ergo applicatio libera diuinæ cognitionis, ac scientiæ ad hoc potius obiectum, quam illud, non potest esse veritas obiectiua distincta à Deo, hoc est à prima veritate.

2. Secundo Deus ita est sibi sufficiens, vt possit esse sine quolibet distincto à se: sed non potest esse sine suis actibus liberis, & sine scientia visionis, & media; ergo scientia visionis, & media non necessario includunt aliquam veritatè obiectiuam æternam distinctam à Deo.

3. Tertiò istæ veritates obiectivæ essent intrinsecè veræ, vt conceditur, essent etiam intrinsecè bonæ, tum quia essent vltimum completiuium actus diuini optimi, & honestissimi, tum quia prædestinatis bona, & appetibilibus est determinatio diuinæ volitionis ad illos efficaciter prædestinandos: sed omne verum, & bonum est etiam ens reale; ergo tales veritates obiectivæ essent ens reale: ac proinde darentur ab æterno aliqua entia realia distincta à Deo, quod est absurdum, & hæreticum. Confirmatur: nam esse semper, & vbique, & non posse deficere, si semel sit positum, est magna perfectio; sed tales veritates essent semper, & vbique, ac non possent deficere semel posita; ergo essent magnæ perfectiones, ac proinde magnæ entitates.

4. Quarto, vel tales veritates sunt puræ perfectio, & sic sunt Deus; vel sunt puræ imperfectio, & sic sunt nihil; vel sunt perfectiones mixtæ cum imperfectionibus, & sic sunt creaturæ; vel neque sunt perfectio, neque imperfectio, & sic sunt omnino superflue; nam nihil est magis superfluum, quam quod nullam includit bonitatem, ac proinde Deus non posset esse sine aliquo omnino superfluo, & necessarium esset aliquid superfluum, vt potè nullam bonitatem habens.

5. Quintò contingentia est imperfectio; sed tales veritates obiectivæ possent esse, vel
non

non esse, ac proinde essent contingentes; ergo essent imperfectiones.

6. Sexto omne contingens debet à Deo determinari per volitionem liberam antecedentem: sed istæ veritates essent contingentes; ergo deberent determinari per volitionem liberam antecedentem: sed illa ipsa volitio vt potè libera deberet applicari per aliquam veritatem contingentem, quæ deberet determinari per voluntatem Dei antecedentem; ergo procederetur in infinitum.

7. Respondeo auctores penè omnium scholarum concedere, quod in rerum natura præter entia realia, & positiua, quæ sola sunt simpliciter, & absolute entia substantialia, vel accidentalia, dantur aliquæ veritates obiectiuæ, quæ cum neque sint substantiæ, neque accidentia, non sunt entia propriè, & simpliciter, sed solum vocari possunt entia cum addito distrahente, nimirum entia rationis, entia moralia, entia abusiua, entia diminuta. Patet: nam multæ scholæ admittunt possibilitates obiectiuas necessarias distinctas à Deo, quæ suo modo sint ab æterno; Thomistæ multas denominationes explicant per relationes rationis, ac non fictas ab intellectu: Scotistæ passim admittunt entia diminuta æterna. Auctores penè omnium scholarum concedunt, nemine cogitante, dari negationes obiectiuas etiam æternas, ac dicunt illas esse entia abusiua: Illi ipsi recentiores, qui cum P. Antonio Perez disput. 3. de Voluntate Dei, cap. 3. & 4. negant negationes, & omnes veritates obiectiuas distinctas realiter ab omni ente reali, nihilominus ponunt veritates obiectiuas non necessarias, virtualiter intrinsecè distinctas ab omni ente reali, sed realiter identificatas cum Deo, quas asserunt secundum se præcisè non esse entia realia, sed entia purè denominatiua. Hæc doctrina desumpta est ex Aristotele 9. Metaph. tex. 21. vbi docet, quod præter ens reale, quod diuiditur in decem prædicamenta, hoc est in substantiam, & accidentia, datur etiam ens, quod diuiditur in verum, & falsum, & sic concedit dari aliquas veritates obiectiuas, quæ non sint substantia, neque accidens, ac proinde non sint ens propriè, & simpliciter, sed solum cum addito distrahente. Augustinus etiam lib. 26. contra Faustum cap. 5. & Anselmus in Monologio cap. 17. concedunt dari aliquam veritatem æternam distinctam ab omni ente reali, per quam verificetur ab æterno res contingentes esse futuras.

8. Hoc supposito, dicendum cum sententia, quam ab antiquis acceptam explicauit, & secutus est Cardinalis Pallaucinus lib. 3. assertionum Theologicarum, cap. 40. terminationes, seu applicationes liberas diuinæ volitionis, ac scientiæ consistere in veritatibus obiectiuis æternis, non necessarijs, distinctis realiter à Deo, illique extrinsecis, quæ cum neque sint substantia, neque accidentia, propriè non sunt entia realia, sed possunt cum addito distrahente dici entia abusiua, vel rationis, vel pu-

rè denominatiua, quarum veritatum munus sit applicare diuinam volitionem, ac scientiam huic potius, quam alteri obiecto contingententi.

9. Probatur primò conclusio: ex dictis enim quæst. 57. quia Deus ab æterno voluit liberè facere quicquid facit, & est facturum in tempore, & ab æterno sciuit se hæc facturum, suis temporibus, debuit ab æterno dari applicatio non necessaria diuinæ cognitionis, ac scientiæ ad hæc obiecta efficaciter volenda, & determinatè scienda; sed hæc applicatio potuit non dari, ac proinde non identificatur realiter cum Deo, qui non potuit non dari; ergo talis applicatio ita est æterna, vt distinguatur realiter à Deo; sed nihil datur ab æterno, quod sit propriè, & simpliciter ens reale, ac distinguatur à Deo; ergo talis applicatio non est ens reale propriè, ac simpliciter, & neque est substantia, neque accidens, sed est pura veritas obiectiuæ, & dici potest ens cum addito distrahente, nimirum ens abusiuum, eas purè denominatiuum &c. proportionaliter, ac negationes communiter vocantur entia rationis, & entia abusiua.

10. Probatur secundò conclusio: nam quia vt ex omnium confessione docet Ruiz de voluntate Dei, disput. 11. sect. 1. num. 1. in hac difficillima quæstione nulla est via declinandi, quin aliquid durum, ac difficile deuoeretur, debemus eligere illam opinionem, quæ nihil durum, ac difficile admittat, quod non fuerit receptum etiam in scholis Philosophorum, & quod non admittatur etiam in alijs sententijs, quæ euitet alia dura lumini naturæ repugnantia, & vt talia à Philosophis negata, quæ tamen admittuntur in alijs sententijs; & quæ dignissimè sentiat de Deo; sed allata opinio est talis; ergo &c.

11. Probatur minor per singulas partes, & primò probatur, quod hæc sententia nihil admittat durum, & difficile, quod non fuerit receptum in scholis Philosophorum. In hac enim opinione illud vnum videtur durum, & difficile, quod dantur aliquæ veritates obiectiuæ præsertim æternæ, distinctæ ab omni ente reali; sed hoc passim admittitur in schola Aristotelis, in qua præter ens, quod diuiditur in substantiã, & accidens, admittitur ens verum, quod non sit substantia, neque accidens: admittuntur veritates necessariae, pura quod quatuor, & tria faciunt septem &c. quæ veritates neque sint substantiæ, neque accidentia; admittuntur negationes, priuationes &c. ac priuatio licet non sit substantia, neque accidens, dicitur esse vnum ex principijs rerum naturalium; ergo.

12. Secundò probatur hoc durum, & difficile concedi etiam ab alijs sententijs. Sententiæ enim reducuntur ad duas classes. In prima sunt, qui docent decreta Dei compleri per aliquid Deo intrinsecum, quod aliqui ponunt identificari cum Deo, alij putant distingui realiter à Deo. Qui dicunt hoc intrinsecum æternum

num distingui à Deo, concedunt illud consistere in veritate obiectiua aeterna, quæ cum distinguatur à Deo, & creaturis, non est ens reale, adeoque concedunt illud durum, quod concedit nostra sententia. Qui dicunt hoc intrinsecum identificari cum Deo, excepto Caietano, dicunt illud secundum se præcisè, prout distinguitur virtualiter à Deo, non esse ens reale, sed esse puram veritatem obiectiuam, ac ens purè denominatiuum, ac proindè deorant hoc durum, quod deuorat nostra sententia. Qui dicunt decreta Dei compleri per aliquid contingens extrinsecum Deo, dicunt decreta negatiua, puta per quæ Deus noluit quicquam producere ab aeterno, compleri, & ultimo applicari per negationes aeternas distinctas ab omni ente reali, quæ proindè sint puræ veritates obiectiua, vel entia abusiua; dicunt rursus, quod si Deus nolisset creare Mundum, & operari ad extrà, tale decretum fuisset completum, terminatum, & applicatum per negationes aeternas omnium rerum, distinctas ab omni ente reali, quæ proindè essent puræ veritates obiectiua.

13. Tertiò probatur, quod hæc opinio euitet alia inconuenientia, & lumini naturæ repugnantia, quæ admittuntur ab alijs sententijs. Primò enim ex sententia dicente terminationes liberæ, & non necessarias identificari realiter cum Deo, sequitur, quod Deus, licet possit esse sine his terminationibus liberis, non distinguatur realiter ab ipsis; quod terminationes liberæ, quæ quia de facto non existunt, non identificantur realiter cum Deo, potuerint identificari realiter cum Deo; & quod terminationes, quæ de facto existunt, & sic cum Deo realiter identificantur, potuerint non existere, & sic realiter distingui à Deo; quod terminationes, quæ de facto existunt, fuerint indifferentes ad hoc, vt essent Deus, vel essent nihil; quod terminatio, qua Deus determinaretur ad volendum alium Mundum, quæ de facto non existit, & sic est imperfectio formica, potuerit esse Deus, & sic esse æquè perfecta, ac Pater aeternus; sed hæc omnia sunt inconuenientia, ac lumini naturali repugnantia, & vt talia negata ab omnibus philosophis, & euitantur à nostra sententia; ergo. Secundò ex sententia docente terminationes liberæ distingui à Deo, sed esse ab aeterno intrinsecum Deo, sequitur aliquid ab aeterno esse intrinsecum Deo, quod non sit Deus, quod est inconueniens, & euitatur à nostra sententia. Tertiò ex sententia dicente terminationes liberæ esse aliquid temporale, sequitur, quod Deus sicut non ab aeterno, sed in tempore creauit mundum, sic non ab aeterno voluerit creare Mundum, & sciuerit se creaturum. Mundum in tempore; siquidem denominationes scientis, & volentis non minus, quam denominationes creantis, & producentis requirunt, vt omnia earum constitutiua fiat præsentia, quando debent conuenire tales denominationes; quod est absurdum, & euitatur in nostra sententia.

tur in nostra sententia.

14. Quartò demum probatur nostram sententiam dignissimè sentire de Deo. Nam dignius sentimus de Deo, si dicamus illum non identificari cum aliquo contingenti, & ab aeterno non habuisse aliquid intrinsecum, quod potuerit non esse, ac denominationes cognoscentis, & volentis esse adæquatè aeternas, quæ si dicamus opposita his; sed in omnibus alijs sententijs dicimus aliquid his oppositum; ergo &c.

15. Probatur tertiò conclusio Auctoritate. Scotus in 1. dist. 39. expressè docet res futuras ab aeterno fuisse in esse voliti, & sciti à Deo. Hoc autem esse voliti, & sciti vocat ens dimiutum aeternum, quod nos vocamus veritatem obiectiuam, ac Scotum sequuntur omnes Scotistæ; ergo Scotus, & omnes Scotistæ expressè docent nostram sententiam. Thomistæ communiter docent volitionem liberam supra volitionem necessariam addere solum, relationem rationis ad obiectum creatum, quæ relatio sit aeterna, & potuerit non esse; eandem sententiam docuerunt Alexander, & alij antiqui, quos refert Ruiz de Voluntate Dei disp. 11. sect. 3. num. 1. 2. 3. & 4; sed nomine relationis rationis non intelligunt relationem fictam; nam proculdubio denominatio Dei volentis, ac scientis non habetur per aliquid fictum; ergo intelligunt aliquam veritatem obiectiuam aeternam.

16. Pro maiori explicatione sententiæ alata, quæres primò, vtrum tales veritates obiectiua sint ens, vel non ens, hoc est nihil?

17. Respondeo, quod sicut ens dicitur dupliciter, nimirum ens reale, quod diuiditur in substantiam, & accidens, & ens rationis, & abusiuum, quod complectitur etiam negationes; sic non ens, seu nihil sumitur dupliciter, primò pro eo, quod non est ens reale, sed est ens rationis, vel abusiuum; secundò pro eo, quod neque est ens reale, neque ens rationis, seu abusiuum. Veritates ergo obiectiua, de quibus loquimur, non sunt ens reale, sed sunt nihil entis realis; at sunt ens rationis, seu abusiuum, & non sunt nihil entis etiam abusiui. Addi potest, quod non sunt ens transcendente, quod abstrahitur solum ab entibus realibus, substantia nimirum, & accidentibus, sed sunt nihil entis transcendentis; at sunt ens supertranscendente, quod abstrahitur ab ente reali, & ab ente rationis, seu abusiuo, ac non sunt nihil entis supertranscendentis. Addo rursus idem quæsitum posse fieri de negationibus obiectiuis, vtrum sint ens, vel nihil, ac debet eodem pacto responderi. Potest etiam similiter quæri ab ijs, qui dicunt terminationes liberæ identificari cum Deo, & secundum se præcisè neque esse perfectiones, neque imperfectiones, vtrum tales terminationes secundum se præcisè sint ens, vel non ens, seu nihil, & debent eodem pacto respondere.

18. Dices; ergo inter ens, & non ens, seu nihil, datur medium.

19. Respondeo, negando consequentiam. Nam neque datur medium inter ens transcendente, & non ens transcendente; siquidem quodlibet vel est ens transcendente, vel non est ens transcendente, ac puræ veritates obiectivæ, negationes &c. sunt non ens supertranscendente, & non ens supertranscendente; siquidem quodlibet vel est ens supertranscendente, vel non est ens supertranscendente, ac puræ veritates obiectivæ sunt ens supertranscendente. Hoc idem aduersarij debent dicere de negationibus, ac de terminationibus identificatis realiter cū Deo.

20. Quæres secundò, quo pacto ens reale differat ab ente purè abusuuo, seu purè denominatiuo, & à puris veritatibus obiectivis?

21. Respondeo primò, quod etiam huic interrogatorijs debent respondere aduersarij, qui vel concedunt dari negationes obiectivas distinctas ab omni ente reali, vel dicunt in Deo dari terminationes liberas, quæ secundum se præcisè non sunt ens reale, sed sunt ens pure denominatiuum. Respondeo secundò directè, quod ens reale est, quod vel debet per se subsistere, vel debet alteri inhærere, adeoque vel est substantia, vel accidens: quod autem neque debet per se subsistere, neque debet alteri inhærere, sed ex se solum debet aliquid excludere, vel vnum ad aliud referre, non est ens reale, cum neque sit substantia, neque accidens, sed solum est ens abusuuum, pura veritas obiectiva, & ens purè denominatiuum. Hinc patet ratio, quare negationes, & priuationes, puta negatio mundi, tenebræ, cæcitas &c. non sunt entia realia. Ratio est, quia negationes, & priuationes neque per se subsistunt, neque alteri inhærant, sed purè excludunt opposita. Patet rursus, quare terminationes non necessaria, quibus Deus constituitur volens, ac sciens hoc potius obiectum, quam illud, non sint entia realia. Ratio est, quia neque per se subsistunt, neque alteri inhærant, sed purè diuinam volitionem, & scientiam necessariam referunt ad hoc potius obiectum, quam illud. Ideò S. Thomas de potentia quæst. 2. art. 5. dicit: *Relatio ratione sui generis non habet, quod sit aliquid, sed solum quod sit ad aliquid; quod autem sit aliquid secundum rem, habet solum ex illius parte, qua inest, vel ut idem secundum rem, ut in diuinis, vel ut habens causam in subiecto, ut in creaturis; sed terminationes liberæ ita Deum referunt ad obiectum volitum, & scitum, vt neque sint idem cum Deo, ac per se subsistant, neque inhærant ulli subiecto; ergo non sunt aliquid, hoc est ens reale, sed solum sunt ad aliquid, ac sunt puræ relationes rationis, vt docuerunt antiqui communiter.*

22. Quæres tertio, vtrum terminationes non necessaria volitionis, ac scientiæ diuinæ sint negationes?

23. Respondeo, quod sunt negationes simul, & relationes rationis. Probat: nam nomine negationis intelligimus puram veritatem obiectivam per se ipsam exclusiuam alius cuius entis; nomine relationis rationis intelligimus puram veritatem obiectivam, qua aliquis intelligens, & volens refertur ad aliud tanquam ad obiectum scitum, volitum, aut nolitum; sed Deus per terminationes liberas applicatur ad volendum aliquas creaturas nunquam esse, alias creaturas non esse ab æterno, & vsque ad certum tempus, ac certo tempore esse; ergo quia sunt puræ veritates obiectivæ excludentes creaturas vsque ad certum tempus, sunt negationes; quia verò per illas Deus certo modo refertur ad creaturas, vt ad obiecta scita, volita, & nolita, sunt relationes rationis. Si verò quærat, vtrum terminationes liberæ sint puræ negationes, respondeo, quod si ly *pura* excludat identitatem cum ente reali, sunt puræ negationes, quia ita sunt negationes, vt non sint vllum ens reale; si ly *pura* excludat identitatem cum relatione rationis ad obiectum volitum, & scitum, non sunt puræ negationes, quia referunt Deum ad aliud, tanquam ad obiectum volitum, vel scitum. Puræ ergo veritates obiectivæ reducuntur ad negationes, priuationes, & relationes rationis. Debet autem aduerti, quod Deus vt nolens aliquod obiectum, & cognoscens illud non esse, refertur ad illud obiectum, vt non existens; vt volens obiectum, & cognoscens illud esse suo tempore, refertur ad obiectum vt suo tempore existens.

24. Dices primò: negatio non potest esse applicatio diuinæ voluntatis ad aliquid efficaciter volendum.

25. Respondeo, negando antecedens. Sicut enim Aristoteles dixit puram priuationem esse principium rerum, sic possumus dicere puram negationem fungi munere applicationis diuinæ voluntatis. Confirmatur: nam si Deus decreuisset nihil omnino creare per totam æternitatem, pura negatio esset applicatiuum diuinæ voluntatis etiam in sententijs aduersariorum; ergo non possunt assumere, quod negatio non possit esse applicatio diuinæ voluntatis.

26. Dices secundò: decretum liberum, compleri non potest per negationem necessariam; sed negatio mundi existentis ab æterno est necessaria, siquidem implicat mundum fuisse ab æterno, vt diximus in Philosophia; ergo &c.

27. Respondeo concedo maiorem, & distinguo minorem: negatio, per quam mundus non est ab æterno vsque ad certum tempus, est necessaria, nego: negatio, per quam mundus non est ab æterno vtrumque, transeat; & nego consequentiam. Ab æterno datur negatio, per quam mundus non est ab æterno vsque ad certum tempus, puta vsque ad tempus creationis. Hæc autem negatio est

contingens, & complet ultimo decretum diuinum non creandi mundum vsque ad certum tempus, & creandi illo tempore.

28. Dices tertio: negatio tollitur, posita, cuius est negatio; ergo negatio mundi tollitur, posito mundo, adeoque posito mundo, ablata fuisset applicatio diuinę voluntatis, quod est absurdum.

29. Respondeo, distingo antecedens: negatio tollitur, si res, cuius est negatio, ponatur pro tempore, pro quo aufertur a tali negatione, concedo: si ponatur pro alio tempore, nego. Negatio mundi completiua diuini decreti aufert mundum solum vsque ad tempus creationis, adeoque mundo posito pro tempore creationis, non tollitur talis negatio.

30. Quæres quarto, vtrum terminationes non necessarię diuinę volitionis, ac scientię sint purę perfectiones, vel purę imperfectiones, vel perfectiones mixtę imperfectionibus, vel neque sint perfectiones, neque imperfectiones?

31. Respondeo primò, quod simili interrogationi debent respondere etiam aduersarij, qui vel concedunt dari negationes obiectiuas æternas distinctas realiter a Deo, de quibus quæri potest, vtrum sint perfectiones, vel imperfectiones &c. vel dicunt dari terminationes non necessarias identificatas realiter cum Deo, sed ab illo virtualiter distinctas, de quibus itidem quæri potest, vtrum secundum se præcisè sint perfectiones, vel imperfectiones.

32. Respondeo secundò directè, quod sunt perfectiones abusiue mixtę aliqua imperfectione. Probatur primò: nam bonum, & perfectio dicitur proportionaliter, ac ens; ergo sicut terminationes habent aliquod esse abusiuum, sic habent aliquam bonitatem, & aliquam perfectionem abusiua; sed hoc ipsum, quod est esse ens solum abusiuum, esse contingens &c. est magna imperfectio; ergo habent perfectionem mixtam, cum imperfectione. Confirmatur: nam qui concedunt tenebras, cecitates &c. habere aliquod esse abusiuum, concedunt etiam habere aliquam bonitatem, & perfectionem abusiua, ideoque in Cantico trium puerorum, dum dicitur *benedicite lux, & tenebra Domino*, indicatur etiam tenebras, quę consistunt in negatione, habere aliquam perfectionem.

33. Probatur secundò: nam quod habet rationem appetibilis, & volibilis, habet rationem boni, & perfectionis; quod habet rationem nolibilis, habet rationem imperfectionis, ac defectus; sed terminationes liberę habent rationem appetibilis, & volibilis, & etiam nolibilis; ergo.

34. Adde, quod sicut, vt dictum est num. 17. terminationes liberę non habent esse transcendente, sed supertranscendentale, sic non habent perfectionem transcendentalem, sed supertranscendentalem.

35. Dices primò: omnis perfectio est aliqua participatio diuini esse, adeoque est ens; sed terminationes liberę non sunt ens; ergo neque sunt perfectiones.

36. Respondeo, quod perfectio transcendentalis est participatio diuini esse transcendentalis: perfectio autem supertranscendentalis est participatio diuini esse secundum prædicata supertranscendentalia.

37. Dices, secundò: ad perfectionem requiritur, vt præponderet suo contradictorio; sed vna diuina terminatio non præponderat alteri terminationi contradictorię; ergo &c.

38. Respondeo, distingo minorem; non præponderat respectu sui, nego: respectu Dei, concedo. Deo non est melius habere vnā terminationem liberam, quam oppositam; sed terminationi liberę melius est, vt ipsa sit, quam sit opposita, & hoc sufficit, vt sit aliqua perfectio abusiua.

39. Ad 1. distingo maiorem; sola prima veritas est æterna quoad esse reale, concedo; quoad esse rationis, denominatiuum, & abusiuum, nego; & distingo eodem modo consequens. Iam ostensum est, quod in omnium, vel penè omnium sententia dantur aliquę veritates æternę quoad esse purè denominatiuum distinctę realiter, vel virtualiter a prima veritate. Et ratio huius videtur euidentis. Nam prima veritas est necessaria; ergo distinguitur realiter a veritatibus contingentibus; sed ex veritatibus contingentibus contradictoriè oppositis, etiam ab æterno necesse est, vt altera sit, altera non sit; ergo necesse est, vt ab æterno detur aliqua veritas contingens distincta realiter a prima veritate.

40. Ad 2. distingo maiorem: Deus est ita sibi sufficiens, vt possit esse sine quolibet ente reali distincto a se, concedo; sine qualibet veritate obiectiua distincta a se, nego; & nego consequentiam. Deus potest esse sine quolibet ente reali distincto a se; potest etiam esse sine qualibet determinata veritate obiectiua distincta a se, sed non potest esse sine qualibet vaga, & indeterminata veritate obiectiua a se distincta realiter, aut virtualiter in omnium sententia. Patet: nam Deus non potest esse, quin determinatè cognoscat mundū esse, vel mundum non esse; sed Deum determinatè cognoscere mundum esse, cum sit veritas non necessaria, distinguitur aliquo pacto a Deo: Deum determinatè cognoscere mundum non esse, ex eadem ratione distinguitur aliquo pacto a Deo; ergo in omnium sententia Deus non potest esse sine aliqua veritate obiectiua distincta a se. Ad hoc porrò, vt Deus sit sibi ipsi perfectè sufficiens, requiritur quidem, vt possit esse absque eo, quod aliud sit, sed non requiritur, vt possit esse, absque eo, quod aliud sit, vel non sit; sed tum esse, tum non esse rem contingentem, est aliqua veritas; ergo ad hoc, vt Deus sit sibi ipsi perfectè sufficiens, non requi-

ultitur, vt Deus possit esse sine omni veritate contingenti distincta à Deo.

41. Ad 3. distinguo maiorem: istæ veritates obiectiuae essent intrinsecè veræ, & bonæ supertranscendentaliter, concedo; transcendentaliter, nego: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Sicut præter ens transcendentaliter, datur ens supertranscendentaliter abstrahens ab ente positivo, & negatio, & purè denominatiuo, sic datur etiam verum supertranscendentaliter, & bonum supertranscendentaliter: siquidem verum e. g. & bonum est me nunc habere negationem doloris &c. ergo ex eo, quod veritates obiectiuae necessariæ, & æternæ sint veræ, & bonæ supertranscendentaliter, non arguitur illas esse entia realia, & transcendentalia, sed solum illas esse entia supertranscendentalia, & purè denominatiua, vt explicatum est.

42. Ad confirmationem, distinguo maiorem: esse semper, & vbique transcendentaliter, & non posse deficere, amittendo esse transcendentaliter, est magna perfectio, concedo: esse semper, & vbique supertranscendentaliter, & non posse deficere, amittendo esse supertranscendentaliter, est magna perfectio, nego: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Esse semper, & vbique transcendentaliter, est posse operari semper, & vbique, & hoc est magna perfectio; sed veritates obiectiuae, de quibus agimus, non sunt actiuae, neque passiuae, ac proinde non solum non possunt operari semper, & vbique, sed nullo loco, vel tempore possunt operari; ergo non sunt semper, & vbique transcendentaliter, sed solum supertranscendentaliter, in quantum semper, & vbique esse verum, quod diuina volitio est applicata his determinatè obiectis; sed esse semper, & vbique supertranscendentaliter, est perfectio solum supertranscendentalis, quæ ex suo genere est minima, cum possit conuenire etiam negationibus; ergo. Similiter non posse deficere, amittendo esse reale, est magna perfectio: at non posse deficere, amittendo solum esse supertranscendentaliter, quod conuenit etiam negationibus, est parua perfectio, & supertranscendentalis.

43. Ad 4. iam dictum est veritates obiectiuae, de quibus loquimur, esse perfectiones supertranscendentales, mistas imperfectionibus. Neque ex hoc sequitur illas esse creaturas. Siquidem ad creaturam non sufficit, vt habeat perfectionem supertranscendentalem, mistam imperfectione, qualis perfectio conuenit etiam negationibus, & priuationibus, sed requiritur, vt habeat perfectionem transcendentalem mistam imperfectione.

44. Ad 5. concedo veritates obiectiuae, de quibus loquimur, habere imperfectionem contingentiam.

45. Ad 6. distinguo maiorem; omne contingens, quod non includatur in ipso exercitio libero diuinæ voluntatis, debet à Deo determinari per volitionem antecedentem, conce-

do: quod includatur in ipso exercitio libero diuinæ voluntatis, nego: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Sicut nos volitionem liberam determinamus per se ipsam, & non per determinationem antecedentem, sic Deus applicationem liberam suæ volitionis determinat per se ipsam, & non per determinationem antecedentem. Ratio est, quia exercitium immediatè liberum determinatur seipso, non autem determinatione antecedenti; sed applicatio diuinæ volitionis est exercitium immediatè liberum Deo; ergo &c.

46. Dices: omnis determinatio est actio; sed Deus determinat istas veritates obiectiuae; ergo illas determinat per aliquam actionem; sed quod determinatur per actionem, est ens reale; ergo tales veritates obiectiuae sunt ens reale.

47. Respondeo distinguo maiorem: omnis determinatio supertranscendentalis est actio, nego; transcendentalis, concedo: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Determinatio supertranscendentalis non est actio, vt patet in sententia penè omnium. Nam Deus determinat negationes contingentes, & nõ per actionem: auctores etiam, qui admittunt puram omissionem liberam, dicunt voluntatem se determinare ad puram omissionem, & non se determinare per actionem.

48. Quæres, quo pacto determinentur veritates obiectiuae, per quas completur scientia media?

49. Respondeo, quod quia cognitio diuina est determinata ad affirmandum quodlibet obiectum etiam conditionatum, dummodò illud obiectum sit verum, cognitio diuina eo ipso, quod aliquod obiectum conditionatum est verum, se ipsam necessario applicat illi obiecto, ac proinde determinat veritatem illam obiectiuae, per quam formaliter applicatur.

Q V A E S T I O L I X.

Proponitur doctrina S. Thomæ articulo 4. & sequentibus quæstionis 19. de Voluntate Dei.

S. Tb. q. 19. art. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12.

1. **C**Um fusè examinauerimus doctrinam S. Thomæ primis tribus articulis quæstionis 19. de voluntate Dei, in quibus quærit, vt in Deo sit voluntas, vt Deus velit alia à se, & vt Deus omnia, quæ vult necessario velit, libet breuiter per varia quæstiones proponere doctrinam articuli quarti, & sequentium eiusdem quæstionis.

2. Quæres igitur primò, vt in Deo sit voluntas, hoc est, vt Deus producat effectus ad extra ex necessitate naturæ, vel per voluntatem?

Respondeo cum S. Thomæ art. 4., quod
A a 2 Deus